


AVLI GELLII



NOCTIUM ATTICARUM

CAPITULA EXCERPTA
DE SCIPIONE ET HANNIBALE
BELLOQUE PUNICO SECUNDO



*Iōannēs Paulus Ferdinandī Flūminis sive Murgēnsis
modō Iōhannis Oerbergis composuit additāmentum
capitulōrum XLVIII et XLIX methodī LLPSI*

Hoc opus consignatum est sub Creative Commons diplomate

NOCTIVM ATTICARVM EXCERPTA

HASTA ET CADUCEVM

[Ex A. Gellii 'Noctium Atticarum' X, cap. XXVII]

Historia de populo Romano deque populo Poenico, quod pari propemodum vigore fuerint aemuli.

Poenicus -a -um = Punicus
propemodum *adv* = prope
aemulus -a -um = qui alium
aequare et superare studet
existere = manere

1 In litteris veteribus memoria exstat, quod par quondam fuit vigor et acritudo amplitudoque populi Romanique

2 Poeni neque immerito aestimatum: cum aliis quidem populis de uniuscuiusque republica, cum Poenis autem de omnium terrarum imperio decertatum.

3 Eius rei specimen est in illo utriusque populi verbo factum: Q. Fabius, imperator Romanus, dedit ad Carthaginenses epistulam. Ibi scriptum fuit 'populum Romanum misisse ad eos hastam et caduceum, signa duo belli aut pacis, ex quibus, utrum vellent, eligerent; quod elegissent, id unum ut esse missum existimarent.'

4 Carthaginenses responderunt 'neutrum sese eligere, sed posse, qui attulissent, utrum mallet, relinquere; quod reliquissent, id sibi pro electo futurum.'

5 M. autem Varrone non hastam ipsam neque ipsum caduceum missa dicit, sed duas tesserulas, in quarum altera caducei, in altera hastae simulacra fuerunt incisa.

acritudo -inis *f* < acer
amplitudo -inis *f* < amplus
im-meritus -a -um ↔ meritus,
adv immerito
unus-quisque = singuli
republica: re publica
de-certare = pugnando decernere


specimen -inis *n* = exemplum



: scriptum est

quibus: quibus

caduceum -i *n*



tesserula -ae *f*

: incisa sunt

IVS IVRANDVM CAPTIVORVM

[Ex A. Gellii 'Noctium Atticarum' VI, cap. XVIII]

De observata custoditaque apud Romanos iurisiurandi sanctimonia; atque inibi de decem captivis, quos Romam Hannibal deiurio ab his accepto legavit.

iurisiurandi: iuris iurandi
sanctimonia -ae *f* < sanctus
inibi = in iis

deiurium -i *n* = iurandum

nōn tenue: fīrmum

eīs: iīs
pacīscī pactum = condiōnem
ferre, ex compositiō postulāre
permūtātiō -ōnis f< permūtāre
alterī: aut Rōmānī aut Poenī

sē-libra -ae f= dīmidia lībra

affinis -e = sanguinis vinculo
coniunctus (socer, gener, nurus,
cēt.) nec cognātus
post-līminium -ī n = iūs redeundī
ad patriam (*adv* postlīminiō)
stātum *hominis liberī* (duo sunt
stātūs hominis: liber et servus)

religiōne: iūreiūrāndō
ēgressī *essent*
com-menticius -a -um = falsus,
excōgitātus
eōdem: castra
satis-facere
rūrsus = rūrsum
in-iūrātus = quī nōn iūrat
fraudulentus -a -um < fraus
calliditās -ātis f< callidus
vulgō *adv* = inter vulgus
dis-cerpo -psisse -ptum = male-
dicere

Iūsiūrāndum apud Rōmānōs inviolātē sānctēque habi- 1
tum servātumque est. Id et mōribus lēgibusque multīs
ostenditur, et hoc, quod dīcēmus, eī reī nōn tenue argū- 2
mentum esse potest. Post proelium Cannēse Hannibal, 2
Carthāginiēnsium imperātor, ex captīvīs nostrīs ēlectōs
decem Rōmam mīsīt mandāvitque eīs pactusque est, ut,
sī populō Rōmānō vidērētur, permūtātiō fieret captīvō-
rum et prō hīs, quōs alterī plūrēs acciperent, darent ar- 3
gentī pondō lībram et sēlībram. Hoc, priusquam profi- 3
cīscērentur, iūsiūrāndum eōs adēgit reditūrōs esse in
castra Poenica, sī Rōmānī captīvōs nōn permūtārent.

Veniunt Rōmam decem captīvī. Mandātum Poenī 4, 5
imperātōris in senātū expōnunt. Permūtātiō senātui nōn 6
placita. Parentēs cognātī affīnēsque captīvōrum amplexī 7
'eōs postlīminiō in patriam redīsse' dīcēbant 'stātumque
eōrum integrum incolumemque esse' ac, nē ad hostēs
redīre vellent, orābant. Tum octō ex hīs 'postlīminium 8
iūstum nōn esse sibi' respondērunt, 'quoniam dēiūrīō
vīnctī forent' statimque, uti iūrātī erant, ad Hannibalem
profectī sunt. Duo reliquī Rōmae mānsērunt 'solūtōs' que 9
'esse sē ac liberātōs religiōne' dīcēbant 'quoniam, cum
ēgressī castra hostium fuissent, commenticiō cōnsiliō
regressī eōdem, tamquam sī ob aliquam fortuitam cau-
sam, īssent atque ita iūreiūrāndō satisfactō rūrsus iniū-
rātī abīssent.' Haec eōrum fraudulenta calliditās tam 10
esse turpis exīstimāta est, ut contēptī vulgō discerptī-
que sint cēnsōrēsque eōs posteā omnium notārum et


NOCTIVM ATTICARVM EXCERPTA

damnīs et ignōminiīs affēcerint, quoniam, quod factūrōs dēierāverant, nōn fēcissent.

ignōminia -ae *f* = dēdecus ob
notam censōris
dēierāre = dēiūrāre

11 Cornēlius autem Nepōs in librō exemplōrum quintō id quoque litterīs mandāvit multīs in senātū placuisse, ut hī, quī redīre nōllent, datīs cūstōdibus ad Hannibalem dēdūcerentur, sed eam sententiam numerō plūrium, quibus id nōn vidērētur, superātam; eōs tamen, quī ad Hannibalem nōn redīssent, ūsque adeō intestābilēs invīsōsque fuisse, ut taedium vītāe cēperint necemque sibi cōnscīverint.

superātam *esse*
in-testābilis -e = infāmis
taedium -ī *n* > taedēre; taedium
vītāe *cēperunt*: t. vītāe eōs cēpit



phalerae
-arum *f pl*

ephippium -ī *n*

IOCVS HANNIBALIS

[Ex A. Gellī ‘Noctium Atticārum’ V, cap. V]

Cuiusmodi iocō incavillātus sit Antiochum rēgem Poenus Hannibal.

cuius-modi = quālis
iocus -ī *m* = rēs iocōsa, rīsus
cūiusmodi iocō = quālī iocō
in-cavillārī = dērīdēre

facētus -a -um = iocōsus
cavillārī = illūdere
cavillātiō -ōnis *f* < cavillārī
huius(ce)modi = huius generis
ingentīs: ingentēs

factūrus: ad faciendum
exercitum convertere: e. lustrāre
flōrentem: splendentem

frēna -ōrum *n pl* = ferrum positum
in ōre equī ad eum regendum
monīle -is *n* = ōrnāmentum collī
prae-fulgēre = valdē fulgēre
contemplātiō -ōnis *f* < *contemplārī*
= intuērī, īnspicere
glōriābundus -a -um = quī nimis
glōriātur
cōnferī: superārī
ig-navia -ae *f* = *inertia* < iners

1 In librīs veterum memoriārum scrīptum est Hannibalem Carthāginiēsem apud rēgem Antiochum facētissimē cavillātum esse. Ea cavillātiō huiusmodi fuit: ostendēbat eī Antiochus in campō cōpiās ingentīs, quās bellum populō Rōmānō factūrus comparāverat, convertēbatque exercitum īsignibus argenteīs et aureīs flōrentem; indūcēbat etiam currūs cum falcibus et elephantōs cum turribus equitātumque frēnīs, ephippiīs, monilibus, phalerīs praeifulgentem. Atque ibi rēx contemplātiōne tantī ac tam ōrnātī exercitūs glōriābundus Hannibalem aspicit et “putāsne” inquit “cōnferī posse ac satis esse 5 Rōmānīs haec omnia?” Tum Poenus ēlūdēns ignaviam

im-bellia -ae *f* < imbellis

etiam-sī = etsī

prorsum = omnīnō
lepidus -a -um = facētus

aequiperātiō -ōnis *f* = comparātiō

Olympias -adis *f*

prior: prīmus

P. Cornēlius Scīpiō, pater Scīpiō-
nis Āfricānī

con-dormīre = dormīre

ab hīs

haruspex -icis *m* = sacerdos quī
ex viscerīs victimārum futūra
praedīcit
retulisse

fētus -ūs *m* = quod genitus est
sēnsus -ūs *m* < sentīre
ex-inde = post

imbelliamque mīlitum eius pretiōsē armātōrum: “Satis,
plānē satis esse crēdō Rōmānīs haec omnia, etiamsī avā-
rissimī sunt.” Nihil prorsum neque tam lepidē neque 6
tam acerbē dīcī potest: rēx dē numerō exercitūs suī ac dē 7
aestimandā aequiperātiōne quaesīverat — respondit Han-
nibal dē praedā!

MIRACVLA SCIPIONIS AFRICANI

[*Ex A. Gellī ‘Noctium Atticārum’ VI, cap. I]*

*Admīranda quaedam ex annālibus sūmpta dē P. Āfricā-
nō superiōre.*

Quod dē Olympiade, Philippī rēgis uxōre, Alexandrī 1
mātre, in historiā Graecā scrīptum est, id dē P. quoque
Scīpiōnis mātre, quī prior Āfricānus appellātus est, me-
moriae datum est. Nam et C. Oppius et Iūlius Hygīnus 2
aliīque, quī dē vītā et rēbus Āfricānī scrīpsērunt, mātrem
eius diū sterilem exīstimātam trādunt, P. quoque Scīpi-
ōnem, cum quō nūpta erat, liberōs dēspērāvissē. Postea 3
in cubiculō atque in lectō mulieris, cum absente marītō
cubāns sōla condormīssēt, vīsum repente esse iūxtā eam
cubāre ingentem anguem eumque hīs, quī vīderant, ter-
ritīs et clāmantibus ēlāpsum invenīrī nōn quīssē. Id ip-
sum P. Scīpiōnem ad haruspīcēs retulisse; eōs sacrificiō
factō respondisse fore ut līberī gīgnerentur neque multīs 4
diēbus, postquam ille anguis in lectō vīsus est, mulierem
coepisse conceptī fētūs signa atque sēnsū patī; exinde
mēse decimō peperisse nātumque esse hunc P. Āfricā-

NOCTIVM ATTICARVM EXCERPTA

- num, quī Hannibalem et Carthāginiēnsēs in Āfricā bellō
 5 Poenicō secundō vīcit. Sed et eum impendiō magis ex
 rēbus gestīs quam ex illō ostentō virum esse virtūtis dī-
 vīnae crēditum est.
- 6 Id etiam dīcere haut piget, quod idem illī, quōs suprā
 nōmināvī, litterīs mandāverint Scīpiōnem hunc Āfricā-
 num solitāvisse noctis extrēmō, priusquam dīlūculāret,
 in Capitōlium ventitāre ac iubēre aperīrī cellam Iovis
 atque ibi solum diū dēmorārī quasi cōnsultantem de rē-
 pūblicā cum Iove, aeditumōsque eius templī saepe esse
 dēmīrātōs quod solum id temporis in Capitōlium ingre-
 dientem canēs semper in aliōs saevientēs neque lātrārent
 eum neque incurrerent.
- 7 Hās volgī dē Scīpiōne opīniōnēs cōnfirmāre atque
 approbāre vidēbantur dicta factaque eius plēraque ad-
 8 mīranda. Ex quibus est ūnum huiuscemodī. Assīdēbat
 oppugnābatque oppidum in Hispāniā sitū, moenibus,
 dēfēnsōribus validum et mūnītum, rē etiam cibāriā cō-
 piōsum, nūllaque eius potiundī spēs erat, et quōdam diē
 iūs in castrīs sedēns dīcēbat, atque ex eō locō id oppidum
 9 procul vīsebātur. Tum ē mīlitibus quī in iūre apud eum
 stābant, interrogāvit quispiam ex mōre in quem diem
 10 locumque vadimōnium prōmittī iūberet, et Scīpiō ma-
 num ad ipsam oppidī quod obsidēbatur arcem prōten-
 11 dēns “perendiē” inquit “sēsē sistant illō in locō.” Atque
 ita factum: diē tertiō, in quem vadārī iusserat, oppidum
 captum est, eōdemque diē in arce eius oppidī iūs dīxit.

impendiō *adv* = multō

ostentum -ī *n* = portentum

haut = haud

solitāre = solēre
 dīlūculāre = illūcēscere
 ventitāre = saepe venīre

dē-morārī = morārī

aeditumus -ī *m* = vir quī sacrās
 aedēs servat
 dē-mīrārī = valdē mīrārī

saevīre = saevus esse

volgus = vulgus
 opīniō -ōnis *f* = sententia
 cōn-firmāre = firmāre
 ap-probāre = probāre

as-sīdere = cōnsīdere

cibārius -a -um < cibus

cōpiōsus -a -um = ūber
 potiendī: capiendī

vīsere = īnspicere
 iūre: iūdicīō
 quispiam = quīdam
 ex mōre: ut īnstitūtum est
 vadimōnium -ī *n* = prōmissum
 appārendī in iūdicīō
 : ad ipsam arcem oppidī quod ob-
 sidēbatur
 prō-tendere = extendere
 perendiē = diē tertiō, diē post crās
 sistere = appārēre in iūdicīō
 vadārī = venīre in iūs vadimōniō
 obligātus

SCIPIO AFRICANVS ET TIBERIVS GRACCHVS

[Ex A. Gelliī 'Noctium Atticārum' XII, cap. VIII]

Reditiōnēs in grātiam nōbīlium virōrum memorātū dignae

reditiō -ōnis *f* = reditus

dis-sentire -sēnsisse -sēnsus ↔
cōnsentire
saepenumerō = iterum iterumque

sollemnis -e = quī fēstis diēbus fierī solet, diīs dignus
epulum -ī *n* = epulae
fors fortis *f*; fors fuit ut = forte accidit ut
apud = apud
iūctim = prope, iūxtā
quasi dī immortalēs arbitri in convīviō dexterās eōrum condūxissent
con-dūcere = eōdem dūcere; dexterās c.: dexterās iungere
in-cipere -cēpisse -ceptum
affinitās -ātis *f* < affinis

explōrātus -a -um = certus, cognitus; explōrātissimō iūdicīi tempore: cum iūdicium certissimum est (id est, dum inimicus est)
M. Aemilius Lepidus, cōs. a. 137
M. Fulvius Flaccus, cōs. a. 125

praeditus -a -um (rē) = quī habet (rem)
cōnflīctāre = saepe cōnfligere

in campō *Martiō*

cēnsūrā -ae *f* = magistrātus cēnsōris
iūgis -e = perpetuus

P. Āfricānus superior et Tiberius Gracchus, Tiberiī et C. Gracchōrum pater, rērum gestārum magnitudīne et honōrum atque vītāe dignitatē illūstres virī, dissensērunt saepenumerō dē rēpublicā et eā sive quā aliā rē nōn amīcī fuerunt. Ea simultās cum diū mānsisset et sollem- nī diē epulum Iovī libārētur atque ob id sacrificium senātus in Capitōliō epulārētur, fors fuit ut apud eandem mēnsam duō illī iūctim locārentur. Tum quasi diīs im- mortālibus arbitrīs in convīviō Iovis Optimī Māximī dexterās eōrum condūcentibus repente amīcissimī factī. Neque sōlum amīcītia incepta, sed affinitās simul īnsitūtā; nam P. Scīpiō filiam virginem habēns iam virō mātūram ibi tunc eōdem in locō dēspondit eam Tiberiō Gracchō, quem probāverat ēlēgeratque explōrātissimō iūdicīi tempore: dum inimicus est.

Aemilius quoque Lepidus et Fulvius Flaccus nōbilī genere amplissimīsque honōribus et summō locō in civitāte praeditī odiō inter sēsē gravī et simultātē diūtīnā cōnflīctātī sunt. Postea populus eōs simul cēnsōrēs facit. Atque illī, ubi vōce praecōnis renūtiātī sunt, ibīdem in campō statim nōndum dīmissā cōntiōne ultrō uterque et parī voluntātē coniūctī complexīque sunt exque eō diē et in ipsā cēnsūrā et postea iūgī concordīā fidissimē amīcissimēque vīxērunt.